Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26554
Copyright: Admont, Benediktinerstift

grauis non est in certo loco constitutus. Nec tamen precipuus
uelut illi duo. Non minus. s. sed similiter quam in una
simplici dictione. s. sed sicut in simplicibus dictionibus
unus est accentus. sic et in compositis. Malesanus compositum est
ex adubio male et nomine sanus. et antepenultimam
habet breuem. i. le. penultimam uero natura longam. i. sa.
Et ideo circumflectitur. ut malesanus. infirmus. quasi non
est bene fidus. Intra loci. i. in eodem loco. In an
tepenultimo acuitur. quoniam naturaliter breuis est pe
nultima. Ut enim donatus et ceteri testantur. illa
seruant in compositione longam partem quam
in simplicitate habent longam. quod et hic fecit donatus.
Accentus in integris dictionibus obseruantur. in inter
iectionibus et in peregrinis uerbis et in barbaris
nominibus nulli certi sunt accentus. In integris. i. in non cor
ruptis. non uiciatis. uel in eis que habent originem et fle
xionem latinam si sit origo greca uel latina. In
interiectionibus nulli certi sunt accentus. quia incon
dita et inpolita uoce proferuntur. siue dixeris
pape. uel papé. non es reprehendendus. Non. n. potest in
eis regularum sitarum esse obseruatio. seu quod omnium
linguarum sunt uoces. siue quia secundum motum animi
non obseruatis regulis proferuntur. In peregrinis. s. di
ctionibus. i. in grecis que nobis sunt peregrina. Et bene
greca sunt peregrina appellantur. quoniam sepe hospitantur
nobiscum. et in nostris usibus frequenter inuenimus.

(Randglosse: quasi non est bene sanus. sicut infidus.)